LACHRYMABILE

FVNVS

HEBENSTREITIAE,

NATAE

IVNIAE,

OPTIMO MARITO, NOBILISSIMAE GENTI,

AMICIS OMNIBVS,

DESIDERATISSIMAE,

NVPER PRIVATIM, NVNC PVBLICE,

LVGET



F. O. MENCKENIVS.

LIPSIAE,

LITTERIS BITTORFFIANIS.

MDCCXXXIX.

Iam Tu, qui, Superos habens amicos,
Vivebas bene nuper ac beate,
Sicut vivere suavitas et ipsa
Divorum, celebrata tot poetis,
Tincta nectare, tincta melle, vita est,
Sicut vivere nos in hoc misellae
Vitae curriculo velimus omnes,
Qui curis vacuos dies molestis,
Et noctes placidas et invidendas,
Ducebas, metuens nihil futuri,
Spernens Attalicas opes, et alta
Regum limina negligens potentum,
Cuius gaudia, finienda nunquam,
Si quid nempe piae preces valebant,
Nos, quoscunque tuos habes sodales,
O dignissime praemiis Deorum,
Laeti vidimus atque gratulantes,
Iam coecas tenebras, nigrasque noctes,
Te circum, miserabilesque luctus,
Horroresque malos, vides, et iras
Tristes, insatiabiles, Deorum,
Incedisque gemens, tremens, et umbrae
Exsangui similis, nihil prioris
Vultu laetitiae ferens, sed atros
Squalores, tetrici notas doloris,
Signatos oculis gerens et ore.
Heu! clamas, nimis, heu! nimis cruentum
Inflictum mihi vulnus est, meaeque
Heu! dulcissima portio salutis,
Et vitae periit comes, IOANNA,
Illa delicium meum, IOANNA,
Illa pars animae meae, IOANNA,
Illa foeminei decus venustum,
Et splendor rutilans, honorque, sexus,
Illa nobilium trium Sororum
Princeps stellula, praemicans corona,
Qua non castior ulla puriorque,
Nulla mitior elegantiorque,

Non ornatior ulla, cultiorque
Virtutis niveae, probae, pudicae,
Dignae laureolis, nitore pulchro,
Nulla carior omnibus, ſuoque
Nulla denique gratior marito.
Sic Te iam video (ſed o videre
Non talem mihi contigiſſet unquam!)
Tecum praeteritos dolere caſus,
Caſus omnibus aſperis et atris,
Quotquot ſunt et erunt, acerbiores,
Et longas iterare flebilesque,
Cum ſingultibus anxiis, tremendos
Flexuris Superos parum, querelas,
Amiſſumque tori decus iugalis,
Orbatosque ſua pios penates
Dilecta domina, et ſua tenellam,
Quae vitam dederat, parente prolem,
Et, quod pectore mordeat ſub imo,
Raptam nunc manibus tuis, et ulnis,
Et dulci gremio, tuam IOANNAM,
Noctes atque dies ſonare totos.
Sic luges tua fata, frigidamque,
Ipſe frigidior, ſedens ad urnam,
Tu clauſos lachrymis rigas ocellos,
Pallentesque tuae genas amicae,
Praebens oſcula mille non daturis
Unquam mutua, mortuis, labellis,
Infauſti bene conſciis amoris.
Et luges merito, nec exprobrandas
Effundis lachrymas, pius, fidelis,
Ter quaterque miſer, tui venuſta
Nudatus ſocia tori, moleſtum
Damnatus ſterilis, malae, nefandae,
Solitudinis ad iugum, brevesque
Vitae delicias diu manente
Mutatas gemitu videns, maritus.
Id noſti bene, nosque ſcimus omnes,
Quos iuſti ſocios habes doloris,

Quam Te prae reliquis suis alumnis
Felicem Philuraca, quam beatum,
Olim iusserit esse, cum, suarum
Quae lectissima sola filiarum,
Et qua non genuit nec educauit
Toto corpore gratiosiorem,
Et qua non habuit placentiorem,
Et blandam magis, et magis modestam,
Iucundamque magis, viroque tali,
Qualem nempe tulit deinde, dignam,
Amplexus dedit in tuos, et uni
Addixit propriam Tibi, IOANNAM.
Non sic floriferis stat in viretis,
Inter gramina mille, mille flores,
His formosior omnibus, comasque

Molli fronte gerens rubentiores,
Illa purpureo placens colore,
Fragrantique suo placens odore,
Hortorum, rosa, laus honorque princeps;
Non sic arboreo superba regno.
Dat gratum decus, et nemus paternum
Casto nobilitat vigore, myrtus,
Tollens se frutices super minores,
Et baccas generans magis saporas:
Vt se candidulae nitore frontis,
Et virtute suum decente sexum,
Et morum niueo pudore, dudum
Tot comtas super extulit superque,
Quot laudat Philyre, IOANNA Nymphas.
Hanc olim, lateri suo ligatam,
Et casti sociam, tenere, lecti,
Coelesti fuit illa par voluptas;
Hanc sed tam cito perdidisse, vita
Est hac tristior aegriorque nulla,
Aut, si, viuere pessime, reapse
Non est viuere, vera nempe mors est.

* * *